

Dissertatio inauguralis medica. De curatione per contraria ... / [Johann Jakob Hoffmeyer].

Contributors

Hoffmeyer, Johann Jakob.
Alberti, Michael, 1682-1757.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Joh. Christiani Hendelii, [1732]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/pmz6ja8e>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

29,146/B

Axxxi. qv



Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30547143>

A xxxii. q/ 42600

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE
CURATIONE
PER
CONTRARIA,

Quam
AUSPICE DEO PROPITIO
Et Consensu atque Auctoritate Gratiſſæ Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

P R Æ S I D E

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE
PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DO-
CTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONSUETIS

ANNO MDCCXXXII. D. OCTOBR.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

R E S P O N D E N S

JOH. JACOBUS HOFFMEYER,

AMENSdorffa · COtheniensis.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.





PROOEMIUM.



QUOD GALENVS *Lib. 1. de aliment. facult. cap. 1.* prefessus est, morborum cognitionem remediorum esse materiam, id ab omnibus ingenuis probatur medicis: quid quod aliquot annorum centenis, ante illum HIPPOCRATES *Lib. 1. de arte ss. 20. text. 4.* testatus est: *medicus qui sufficit ad cognoscendum, sufficit ad curandum:* quod effatum probavit Celsus quando elocutus est: *qui bene cognoscit, bene curat:* & ne hæc cognitio larvata, fucata & affectata existat, neve magis verbosa audiat, illico insuper declamavit: *morbi non eloquentia, sed remediis curantur:* addit vero porro: *cujus rei certa non est notitia, ejus opinio certum remedium reperire non potest:* qui vicissim in cognitione hæsitant, fluctuant.

antque, illi in exoptata & desiderata morborum curatione haud prosperos faciunt progressus; quicunque præterea afflicti in infelices tales incidunt manus, de illis valet *Sapientiæ dictærium c. XIII. 18. non pudet ipsum alloqui rem inanimam: sed de sanitate quidem invocet, id quod nullis est viribus, pro vita vero quod mortuum est rogat, & pro auxilio, quod nullam plane sui experientiam exhibuit, supplicat.* Tales infelices ausus medici communiter incongruis, minus fidis, confusis actumultuariis curationibus, observationibus & experimentis medicis adscribi merentur, dum non modo morborum signa promiscue & sine discrimine, aut plane insufficienter annotantur, sed & causæ juxta præconceptas semel opiniones indiscriminatim applicantur & tandem variæ ac instabiles, aut plane adversæ & contrariantes medicationes suscipiuntur: inde innotuit *Cura per contraria*, quæ in foro medico haud infrequens esse solet, licet cæteroquin canon ille non incognitus sit, quod *similia similibus & contraria contrariis* curentur: Et quamvis hæc regula valde restricta atque a peritis & circumspectis medicis eximie limitanda sit, ut periculum omnino illi faciant, aut periculo se exponant, qui liberali ausu curationes per contraria suscipiunt, tamen aliquando hanc methodum sectari circumstantiæ quædam præcipiunt atque permittunt; ut huc non quadret vulgare dictærium das Böse müsse man mit Bösem vertreiben, sed potius hic applicari queat dictum illud apostolicum Rom. XII, 21. *μη νικῶ ὑπὸ τῆς κακῆς: ἀλλὰ νικά ἐν τῷ ἀγαθῷ τὸ κακόν*: nec improbant variorum consilia & conamina hanc operationem per contraria, quare omnium

omnium facultatum ac disciplinarum suffragia facile proferri possent: hinc canones illi innotuere: *Constat rerum æternitas contrariis: Constat orbis universus rebus e contrariis: uti calor & frigus, æstus & hiems ministras sibi invicem præbent manus: Contrariorum utique habitus sunt contrarii: eo etiam nonnulla spiritualia & theologica consilia referenda sunt: sic ait GREGORIUS Lib. 24. Mos medicinæ est, ut aliquando similibus, aliquando contrariis curet: calidis frigida, frigida calidis curare consuevit: veniet ergo ad nos desuper medicus noster, tantisque nos inveniens languoribus pressos, & quiddam nobis contrarium opposuit: ad homines quippe homo venit, sed ad peccatores justus: concordavit nobiscum in veritate naturæ, sed discordavit vel discrepavit a nobis in rigore justitiæ: Idem etiam legitur in Homilia de uno martyre. Sicuti in arte medicinæ calida frigidis, & frigida calidis curantur; ita Dominus noster contraria opposuit medicamenta peccatis, ut lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis præciperet humilitatem: & hanc viam per contraria curare naturalem valde, securam ac universalem esse, facile sibi quisquam persuadere posset; quemadmodum in exemplo pro igne ejusque qualitatibus & effectibus coercendis & extinguendis nullum aptius inveniri posset directum & positivum medium quam aqua; an vero id per contrarietatem contingat, nondum exinde liquet; quoniam in nonnullis experimentis ignis modo cum majori, modo cum minori aquæ quantitate augeri, promoveri & excitari potest: quamobrem non omnis cura, quæ contraria videtur, actu, aut absolute talis est: omnis qui:*

dem castigatio ait Apostolus in Ep. ad Ebr. XII, 11. in præsentia non voluptatis, sed doloris esse cernitur: verum tandem salutarem justitiæ fructum reddit illis, qui per eam sunt exercitati: nihilominus tamen interdum actualia contraria sub prudenti applicatione desideratam opem medicam conciliant: confirmat hoc assertum suo calculo, testimonio atque effato ISIDORVS PELVSIO-
TA Lib. 33. ep. 177. quando eloquitur: ne ad curationem animis discruciemur: verum amarulentas medicinae artes feramus: jucundissimum enim fructum postea res hæc paritura est; necesse quippe est peccata ea, quæ per socordiam contracta sunt, laborum ope delere atque extinguere: Spectat huc assertum Valeriani Homilia XX. in princ: afferunt auctores omnium curationum, diversis doloribus, medicinae beneficia diversa competere & singulis infirmitatibus singula quæque beneficium peculiare præstare: ita ut doceant tumentia aut ferro debere compesci, aut medicaminis confectioe molliari: latentia melius esse poculis indagari, frigida corporum ferventibus pasci, calidiora frigidioribus temperari: addimus denique QUINTILIANI verba Declamat: 8. §. 21. Si viscerum nimius ardor stricta circa se membra duravit, adhibe remedia laxantia; si fluitat nimis æger humoribus, præsto sint, per quæ pressis clusisque venis in novas vires corpus arescat: si parum prodest abstinentia rursus ciborum qualitate foveatur: si spiritus receptis premitur alimentis, ad puriores meatus jejunio fameque tenuetur. Ex quibus singulis suffragiis nunc affatim inclarescit, quam vulgaris hæc ab omni ferme tempore curatio extiterit, ut illius tanto magis inter medicos curatior indagatio, emendatio & applicatio servari,

vari, administrari & commendari debeat: & quem admodum hæc curatio vix promiscue approbari & improbari potest, ita prudentis & periti medici officium est, ut eandem a cæcæ empiriæ macula atque errore liberet, ne quidam methodice curare autument, qui calida frigidis, siccis humida, relaxantia stringentibus, falsis dulcia, acida alcalinis, fixis volatilia, &c. opponunt, quæ curatio in indiscreto usu ut plurimum valde fallax, inutilis ac confusa est: permovit nos hæc animadversio, ut officio nostro satisficientes, præsentī inaugurali specimine de *Curatione per Contraria* tractemus, hujusque rationalem, circumspectum ac fructuosum usum significemus: cui instituto ut benignissimus Deus almo suo auxilio atque moderamine succurrat, devotissimis votis precibusque flagitamus.

§. I.

MOrborum curationem *variare* pro discrepantiā *causarum*, rationales & periti medici asserunt & differunt, quare interdum *morbi similibus*, juxta FERNELIUM *method. med. c. 2.* aliquando *contrariis* curantur: ob id SENNERTVS de curatione per contraria de *Consensu & Dissensu chymicorum c. Galenicis cap. 18.* ait: *si remedium morbo simile & non contrarium esset, sed ad idem, ad quod morbus, tenderet, morbum augeret, non expelleret:* hanc curationem per *contraria* ab omni tempore medici allegarunt, imo sub certis *cautelis* etiam probarunt: hinc HIPPOCRATES *de loc. in hom. §. 50. text. 6. 8. conf. text. 20. §. 52. text. 2. 3.* *Medicina & nunc & statim non idem facit*

facit & ad eundem contraria facit & hæc etiam contraria sibi ipsis, & de natura humana §. 18. text. 25. Curam sane facere oportet ex contraria instando adversus morbi causam. Sect. 2. aph. 22. ait: qui a plenitudine morbi fiunt, evacuatione curantur; & qui ab inanitione proficiscuntur, sanantur repletionem; cæterorumque contraria sunt remedia. Medicis testimoniis accedit ARISTOTELES, qui Lib. 2. Ethic. significat: quod Medicinæ fiant per contraria & de generat. & corrupt. Lib. 1. c. 7. agunt contraria in contrario & patiuntur a contrariis: contraria & quæ intermedia sunt, inter se mutuo activa & passiva sunt: simile simili augere valet: contraria vero se mutuo corrumpunt, accedit effectum & suffragium GALENI Lib. 6. meth. med. Lib. 6. c. 15. Sanatio nihil aliud est, quam præsentis in corpore vitiosi affectus in naturalem habitum mutatio: cum autem contrarii hi affectus sint, necesse est, per contraria fiat eorum alterius in alterum translatio: de hac curatione per contraria profitetur FERNELIUS in therap. general. Lib. 1. c. 2. ab initio: morbus omnis contrariis profligandus: contraria enim sunt morborum remedia: remedium est, quod morbum depellit: quicquid autem morbum depellit, id illi vim infert, quod vim infert contrarium est: omni ratione igitur remedium morbo contrarium esse necesse est, omnemque morbi depulsionem atque curationem contrariis perfici; & dum nonnullorum medicorum suffragia & judicia de hac therapia inversa, præmittere placuit, ita addimus HOLLERII assertum in Sect. 3. aph. 3. Cum in morbis generationem & solutionem spectamus, generatio quidem est a similibus, solutio vero a contrariis: & porro in scholiis ait: abiguntur morbi in contrariis. Sic febres ardentes facile generantur

*contur æstate solvuntur ac abiguntur hyeme, ob suppressio-
nem humoris biliosi: præterea hanc quæstionem an con-
traria contrariis curentur ventilat HORSTIUS Opp. Med.
Tom. I. p. 319. 320. VALLESIVS Lib. 8. controvers. c. 4.
VIDVS VIDIVS de curat. generatim cap. 4. Lib. 12. MER-
CATVS de curat. facult: qu. 206. CONCILIATOR. differ. 153.
ZACCHIAS Qu. med. Legal. Lib. V. tit. 4. qu. 5. n. 14. SEN-
NERTUS l. c. sub tit. marginali: morbus quomodo contra-
ria indicet: contraria contrariis curantur: an medica-
menta causis morbificis sint contraria: annectimus STAHL-
II effatum in præmonitione generali tr. de motus hæ-
morrhoidalis & fluxus Hæmorrhoidum diversitate co-
lumn. (a) 3. b. Methodicorum dogma commemorat Galenus
quod, ubi aliquid laxum esse judicaverint, stringendum esse
decreverit: & vicissim, ubi aliquid nimis strictum videa-
tur, relaxandum esse: crediderim ubi frigidum sentirent, ca-
lesfaciendum ratos esse, ubi calidum nimis, frigefaciendum:
A quibus quidem consiliis cum nec ipse Galenus, nec omnes
ejus sequaces, in solidum alieni fuerint: passim innuendo
contraria contrariis curanda esse; in eo solo defecisse putari
possent, quod non satis perspicue studuerint, vbinam vere
vel laxitas simplicior peccet, vel constrictio: ut ita veriori
affectuum constitutioni, per species imo per opportunitates,
veriore methodo, medicationes suas adhibere potuissent. Vix
vero necessitas postulat, ut uberiora testimonia atque
asserata adjiciamus, dum hæc therapia per contraria in fo-
ro medico abunde cognita est: quare in foro Theologico,
ut supra jam recensuimus aliqui hanc methodum servant
& applicant: conf. inter alios DANNHÆRVS in Lact. Ca-
techet. Part. 5. p. 958.*

§. II.

Curatio per contraria, illa dicitur *causarum morbosarum* per media *oppositæ* qualitatis alteratio, qua illarum vis & efficacia *perniciosa & mortifera* infringitur & sub earum aut *plenaria*, aut *relativa* remotione sanitas vel in *totum* vel si *aliter* fieri *haud* potest in *tantum* restituitur: exinde patescit, quod mediante hac therapia illæ causæ nec *augeri*, nec *sustenatri*, nec *exacerbari*, sed *contrariis & oppositis* qualitatibus & operationibus coerceri & *extirpari* debeat: hæc *contrarietas* autem convenienter, *judiciose & secure* invenienda & applicanda erit, ne crassis ausibus per *excessus & extremas* qualitates medicus temere operetur: quamobrem FERNELIVS l. c. ait: *Contraria multifariam dicuntur: quæ non in qualitate solum, verum etiam in quantitate, in numero, in situ, in figura in omni denique genere plurimum distant, ut calidum & frigidum, humidum & siccum, durum & molle, crassum & tenue atque etiam magnum & parvum, multum & paucum, altum & depressum contraria sunt, quæ proprie nuncupantur adversa; alia contraria sunt, quæ privantia appellantur, ut plenum & inane, integrum & corruptum, continuum & solutum: nec negandum est, quod in contrarietatis selectu & inventionem sæpe inconvenientes contrariorum gradus, qui aut in excessum, aut defectum tendunt, applicati fuerint; unde morbis graviora damna ac pericula, loco desideratæ atque promissæ sanationis excitata sunt: Quod si itaque v. g. Hippocrates suadeat *Epidem. Lib. I. Sect. II. text. 95. quod æger cum medico morbo adversari debeat, & de Morb. Sacr. ss. 18. text. 32. 33. quod morbo adversissima, non amica medicus exhibere debeat, text. 35. quod morbus**

ab

ab adverso & hostili pereat & dissipetur. nec non Sect. II. aph. 22. quod evacuatio sanat morbos, qui a repletionem fiunt; & repletio, qui ab evacuatione: addit: & aliorum contrarietas. conf. aph. 48. tunc consilia talia haud præcipiti impetu atque excessu excipienda & applicanda veniunt, sed servanda est moderatio in quantitate, loco, tempore, methodo, aliisque concurrentibus circumstantiis, ne cæcorum empiricorum more medicus sua exequatur negotia: nam medicus juxta Hippocratis annotationem & temeritate & timiditate i. e. excessu & defectu peccare potest: quare idem Senex Sect. II. aph. 52. ait: multum & de repente evacuare, aut replere, aut calefacere aut frigefacere aut aliter quocunque modo corpus movere, periculosum est: nam etiam omne multum naturæ est inimicum: exinde succincta annotatione inferimus, quod contrarietates haud indiscretim, sed judiciose disponendæ & in congrua ac rationali relatione applicandæ sint: oppositorum enim, ut diximus, varii dantur gradus; nec enim crasso, vulgari, ac simplici sensu physico contrarietates accipiendæ veniunt, velut calidæ qualitati frigida, eminenter talia, opponuntur, quoniam in rationali & circumspecta therapia, variis modis præternaturalis calor attemperari potest, ut non semper ad directe & crasse contraria confugere, necessitas urgeat, aut circumstantiæ admittant; quemadmodum contrarietas vel positiva, vel privativa existit, ut v. g. morbosa sanguinis abundantia nunc immediata & proxima alicujus quantitatis subtractione minuatur, alibi laborioso vitæ genere consumatur, aliquando parciori victu haud augeatur, sed magis depleatur, interdum aliis aptis solventibus removeatur & ita diverso modo curetur, ut con-

trarium quid, nimirum illius *imminutio* impetretur: qua animadversione illud inferimus, quod præ *leniori* ac *securiori* modo operandi & curandi per contraria, *varius opposita directa & extrema*, crassa & vulgaria, *positiva* ac *subitam* alterationem excitantia *necessaria*, *tuta* & *salutaria* existant; quamobrem non sufficit *in thesi* tantum veritatem agnoscere ac defendere, quod videlicet contraria contrariis curentur, sed quod prudentis ac periti medici officium sit, in applicatione contrarietatum *gradus* atque *modos* seligere, discernere, conferre atque dirigere; siquidem alia acceptione demonstratu haud difficile est, quod etiam *similia similibus*. i. e. quæ sibi invicem in respectu atque scopo *sanationis* quadrant tractari queant, sicut *perniones* ex parte frigidis, & *ambusta* partim calidis curantur.

§. III.

Ne itaque Curationem per contraria in sensu crudo ac vulgari accipiamus, prudentis porro ac periti medici est, quo primo unicuique *causæ congruos* modos *contraria* operatione resistendi, inveniatur, intelligatur ac bene applicetur; deinde quo *subjectorum* ægrotantium *personales* qualitates recte scrutetur ac perspectas habeat, quæ positivam ac *directam* contrarietatem admittunt: *posterioris* respectus ac considerationis jam aliqualem annotationem ac rationem suscipientes indicamus, quod *stricto* ac riguroso sensu accipi solitas *contrarias* medicationes haud admittant *Infantes* ac *Senes*, in quibus *repentinæ* & strenuæ alterationes *salutarem* motuum decursum offendentes inde exoriuntur; nec etiam huc quadrant *feminae sensibiliores* ac *teneriores*, tanto minus *mensum ataxiis* subjectæ, aut aliis *irregularibus* motuum progressibus obnoxia.

xiæ, minime omnium vero *gravidæ & puerperæ*, quæ *momentaneas & extemporaneas* tales contrarietates ægerrime perferunt: adversantur porro huic strenuæ ac propriæ contrarietati omnes homines *animo ac corpore* eminenter *sensibiles*, qui omnes *insolitas & extraordinarias*, tanto magis vero oppositas & *simul* ac *semel* contrariantes qualitates phycas ac alterationes cum insigni offensa a præjudicio perferunt; respuunt hanc curationem omnia subjecta alioquin in extremas ac contrarias qualitates *præcipitia* ac *sponte* inclinantia, quippe quæ tali irritamento ac *seductione artificiali* in perniciosas offensiones delabuntur, quas ut plurimum nec arte, nec natura facile tranquillare & emendare licet: præterea hanc curationem homines eminenter *plethorici*, de temperamento *valde calido* participantibus aut *spisso*, admodum sanguine præditi ægre admittunt, quoniam alterationes motuum per *extremities* in talibus hominibus subitaneas salutarium functionum *exacerbationes*, vel repentinas illarum *oppressiones* excitant: obest subinde talis curatio in personis *spontanea salutifera* motuum vitalium directione præditis, de quibus vulgo dicitur, sie hätten eine gute, gesunde, heilsame Natur, in quibus offensio talis per positivas contrarietates omnem *salutarem* processum pervertit, congruas motuum directiones turbat ac supprimit, adeoque periculosas ac perniciosas consecutiones extemporaneo impetu allicit; nec ea em curatio convenit personis *valetudinariis*, quæ *subitanea* tali alteratione valde offenduntur, ut *præcipites periculosi* inde effectus provocentur; nocet illa præterea subjectis *specialibus* salutaribus evacuationibus, aut sanguinis, aut humorum pituitosorum, serosorum & biliosorum aduētis, quæ

ab eadem vel in *excessum*, vel *defectum*, vel *perversum* successum facile conjiciuntur: imprimis talis curatio *febrilibus* commotionibus *facile* admodumque *inensa* ac *præjudiciosa* existit, quæ *extremos* saltus ægre tolerant, indeque in *regulari* suo progressu ac decursu eximie turbantur: porro in ægris valde *debilibus* ejusmodi contrarietates præcocibus *funestis* effectibus ac mutationibus viam sternunt, quoniam illi alioquin *lenissima* methodo tractari debent, cum vicissim curationes tales arduas ac *fortes* insuper etiam *repentinas* immutationes complectantur: inimicæ etiam tales sunt curationes illis personis, quæ difficili aliarum evacuationum laborant successu, in quibus *directæ* oppositæ medicationes *causas* illius difficultatis nimis *præcipitanter* ac *eminenter* afficiunt, adeoque *facilius exasperant*, quam emendant: neque ad subeundam hanc curationem idonea sunt subjecta, quæ præcipitibus & acutis laborant morbis, in quibus similes *saltus* in *extrema*, licet periculum sit in *mora*, facile & ut plurimum *simultaneos sinistros* effectus causantur, ut ita *securior* methodus in tali extremo *motuum augmento & decremento* seligenda & adhibenda veniat: neque hanc curationem facile perferunt morbi *corrupti, complicati, intricati, habituales, hæreditarii, periodici*, qui *talibus* qualitatibus præditi sunt, quibus *subitaneæ* atque *potentius* efficaci alterationi valde resistunt: respuunt etiam hanc curam ut plurimum morbi *chronici*, quorum causa præcipua *præcipitata* tali alteratione *rarissime* cum spe impetrandæ sanitatis, nisi interdum *pelliativa* immutatio intercurrat, averti potest: subministrant itaque hæ recensitæ qualitates, quibus adhuc plures addi possent, *cautelas* practicas, ne
extre-

extremās contrarietates facile in usum ducamus, sed hanc curationem *prudenter* & *convenienter* exerceamus.

§. IV.

Quod vero ipsam hanc curationem attinet, tunc in sensu *vulgari contrariæ* medicationes dicuntur, quæ *consilia* & *auxilia causæ* morbosæ hujusque effectui directe *opposita* ordinant & applicant; quamobrem *abundantiæ* diversorum humorum & totius etiam *massæ sanguineæ*, quando eadem *morbifica*, onerosa, præjudiciosa & *perniciosa* est, discrepans quidem, at ubique *congrua* evacuatio opponitur, observata illa ratione & circumspectione, ne loco *convenientium* contrariorum subsidiorum, perversa & *adversa* ordinemus, siquidem v. g. frivolo ausu juxta opinionem *Helmontianam*, & vi suppositi duumviratus *vomitória* ferme promiscue propinantur, quæ tamen, si materia *extra* ventriculum & intestinum duodenum existit *directe* & omni modo secure *aliis* causis morbificis removendis *minime* quadrant; unde emeticis, purgantibus, V. Snibus subtilia & *copiosa* inquinamenta haud expelluntur, nec consultum, securum & salubre est, ut tales evacuationes, quamvis *congruæ* existant, *impetuose* & *rigorose* urgeantur; quare indicatio therapeutica *contrariæ* operationis causis *naturalibus* & *præternaturalibus*, in subjectis & morbis obviis, exacta *accommodata* esse debet, vicissim etiam scire expedit, quam variis modis cum curatione *simpliciter* per contraria medicus peccare possit: huc spectat *Hippocratis* definitio medicinæ, quod sit *additio eorum quæ deficiunt* & *subtractio illorum, quæ excedunt*, quæ operatio per *positivam* contrarietatem procedit: quare etiam *defectus* variis modis *suppleri* potest:

&

& sicut excessus & defectus in *materialibus* & *formalibus* obtingere solet, ita utrique *generali* huic respectui medicus prudens facere debet satis: proinde nunc in *fluidarum*, alibi *solidarum* partium excessus & defectus, quoad *quantitatem*, quoad *qualitatem* & quoad applicationem, tractationem & *actionem* ab attento & perito medico advertendus & dirigendus venit; hinc fluidarum partium *crasis* & *consistentia* per *contrariam* medelam corrigenda est, ita ut illarum intemperies acris, falsa & inquinata in aliam *sanitati conformem* qualitatem converti queat, citra illam plebejam sollicitudinem, ac si humorum massa *edulcoranda* veniat, qualis absoluta temperies ac plane *dulcis* humorum qualitas nec facile reperitur, nec ad sanitatem principaliter necessaria est, siquidem huc quadrat illud *Iobi XIV. 4. qui purum ex impuro efficiat, nullus est*: quid quod subinde haud omni utilitate caret, si sanguinis massa *modica* falsedine prædita est, unde non modo *crassiores* intermixtæ substantiæ quadantenus *resolvuntur*, sed & fibræ motrices ad actionem suam *leniter stimulantur*: interim nimia sanguinis intemperies corrigenda, utut in hac therapevtica operatione non æque semper *directa* contrarietas necessaria & utilis existat; ob id iusta interpretatione explicari & salvari potest *definitio medicinæ*, quam *Hippocrates Lib. de nat. hum. §. 18. text. 1. sq. in summa medicum scire oportet opponere se contrarium instantibus & morbis & naturis & temporibus & ætatibus & distendentia solvere & soluta distendere*: annectimus quæ *GORRÆVS defin. med. tit. ιατρικὴ p. 178. profert: Medicina est adjectio & detractio*: Sic eam *Hipp. Lib. περὶ φύσεως* definivit, quod & explicavit, addens *detractionem quidem superantium additionem*

tionem autem deficientium intelligi, quod contrariorum contraria remedia sint eumque optimum medicum haberi, qui hoc optime præstare possit, quique ab eo plurimum abest, plurimum quoque abesse ab arte medica: Ea quidem definitio sumpta est a medicinæ officio sine & partibus. Etenim medicinæ officium, quod in corporibus deest sarcire & quod superat detrabere; id quod etiam ad ejus finem pertinet, quæ est adversæ valetudinis emendatio: accedit effatum CASP. BRAVO de dogmat. Medic. præstantia in tyrocinio Practico artis curatricis hominis Sect. II. c. 2. p. 350. munus praxis dogmaticæ adjuvat addendo, quod nequit natura addere etiam si necessarium sit ad curationem, vel auferendo quod superfluum. Est, & nequit a natura auferri: ideo Lib. de flatibus totam Medicinam dogmaticam definit Hippocrates per hanc Praxin dicens, quod est adjectio & detractio, & hic locus quem GORRÆVS in Lib. de Nat. quærit, in hoc Lib. de Flat. §. 3. extat: hæc additio vero & subtractio judiciose administranda erit, ne in crudo opere operato acquiescamus, sed ubique rationalem methodum observemus.

§. V.



Præterea directe contraria ordinantur, dum largæ aut prodigæ evacuationes confestim eximie adstringentibus, communibus sedantibus & valde incrassantibus supprimuntur, aut quando imminuta, vel obstructa & plane deficientes salutares excretiones subito ac rigorose impellentibus & stimulantibus urgentur; quando vasorum ac viscerum obstructions & infarctus valde humorum motum augmentibus & excitantibus remediis sub spe apertionis & resolutionis tractantur, sicut volatilia, oleosa concentrata & similia talia subjecta

C

pro-

prostant, quibus virtus talis adscribitur; nec non quando humores *crassi perquam commoventur*, ut *tenues ac fluidi reddantur*, quamvis *securius per diluentia attenuentur*, aut quando nimis *subtiles incrassantur*, sive *positiva* incrassantium & *spissarum* materiarum intermixtione, vel *privativo* subsidio *debilioris* ac *tardioris* commotionis, ut & quando substantiæ *asperæ, lacres*, nimis *falsæ lævigantur, leniuntur*, demulcentur, oleosis lenientibus, emollientibus, gelatino-
sa lubricitate involventibus, invertuntur & corriguntur: quando porro *partium rigor* ac *constrictio* ac conjuncta ariditas *relaxantibus*, delinientibus, humectantibus ac emollientibus tractatur, aut vicissim quando *nimis laxæ* ac molles partes *exsiccantibus*, repellentibus, adstringentibus afficiuntur, quando *motuum defectus*, debilitas & privatio *strenuis* commoventibus, excitantibus & stimulantibus urgentur & sistuntur, ut non modo *excessus* illius refrenetur, sed & *legitimus successus* una cohibeatur: quando insuper *inordinati* motus pro diversitate connexorum effectuum modo *impelluntur*, modo *repelluntur*; quando *sensationis torpor, segnities* aut decrementum irritantibus, vesicantibus, rubefacientibus, synapismis, cucurbitulis, urticationibus excitantur, aut quando valde *exacerbati* sensus stupefacientibus, valde emollientibus & relaxantibus sedantur, quando *præternaturalis æstus* simpliciter *refrigerantibus* & *frigus tale* positive *calefacientibus* tractatur, ut judicatu & consideratu difficile minus sit, quid utilitatis contraria talia in *ambustionibus* & *pernionibus* concilient; quando in certam corporis regionem ac partem externam humores *copiosius* congeruntur, illicoque detinentur mox *repellentia* & adstringentia adhibentur; quan-
do,

do *particulares* ac *insolitæ* excretiones v. g. *sudores* liberaliores *manuum pedumve*, *ulcuscula* cutanea, efflorescentiæ cutis biliosæ, serosæ, lymphaticæ ulcerascentes, scabiosæ, serpiginosæ, achores &c. aut *metastases*, quæ *aliarum* evacuationum salutarium & necessariarum turbas sequuntur, mox exsiccantur, repelluntur ac subito consolidantur, per cicatrisantia, escharotica, incrassantia, adstringentia &c. quando certorum affectuum morbosorum concurrentes dolores confestim sedantibus, lenientibus & demulcentibus diriguntur; quando *intensiores* sanguinis commotiones *repetitis* ac liberalibus sanguinis *subtractionibus* tractantur, ut ob *defectum* tam sanguinis, quam *virium motus* illi *auctiores cessare* teneantur; quando *limitati virium defectus*, sub *intensiori* aliorum motuum progressu, utpote in *spasms*, *febris* &c. mox *cordialibus*, nervinis, roborantibus afficiuntur; unde in talibus ac similibus aliis causis, casibus & respectibus in curatione per contraria *positivo* ac *directo* quodam processu ac *præcipitata* officiositate occupatio observatur, quæ eapropter multis *periculosis* morborum offensionibus ansam præbet, ut judiciosi ac periti medici laude digna cura & sollicitudo sit, ne facile huic speciei ac gradui & statui præsentis curationis fidem tribuat, sed si etiam circumstantiæ requirant, ut ejusmodi *directa* contrarietas in usum trahi debeat, monitum illud CASP. BRAVO in *Resoluz. Medic. Part. 1. disp. 3. Sect. 2. Resol. 9. §. 2. p. 80.* attendatur & adhibeatur, quo correctio per contraria non præcipitato ausu ac rigoroso conatu, sed *successivo* ac *temperato* processu administretur & applicetur.



§. VI.

Hæc curatio per contraria, si *fructuose* exerceri debet, requirit judiciosam *methodum*, ne *confestim* contraria contrariis opponantur: quam ob rem in variis casibus haud consultum est *directe* contraria ordinare, sed aliquoties *indirecte* ad eundem finem pervenire licet; nam si *morbificus* & molestus status *plethoricus* sanguinis *immixtionem* indicat, tunc hæc non semper *extemporanea* & *subitanea* esse debet, sed interdum *successiva*: quare in variis subjectis loco *positivarum* chirurgicarum sanguinis subtractionum non nunquam *laboriosiore* & agiliorem vitam secure commendare possumus; interdum *abstinentiam*, *sobrietatem* & *temperantiam* in *diæta* ordinare debemus, ne sanguis accumuletur, sed successive, attamen *plus* resolvatur, quam reparetur: Si porro in *anæmia* s. defectu sanguinis, denuo quod *deficit* *compensare* adeoque contrarium administrare debemus, non æque necesse est, ut *confestim* plaustra alimentorum congeramus & nimia illorum copia subjecta obruamus, sed ut sub *mediocri* nutritivarum substantiarum oblatione, *vires* præc. reficiantur, fulciantur & erigantur, *organa* in *justa flexilitate* & *permeabilitate* conserventur, sub quo moderamine facilius & securius *contraria* operatio *reparandi* sanguinem ad *salutarem* perducetur effectum: Quod si etiam *particularium* humorum excessus, aut defectus obtigerit, tunc in curatione per *contraria* tale *moderamen* observandum est, ne vel quoad *subjecta*, vel quoad *modum* peccemus: *illa* quod concernit, tunc vel illi homines curatius annotandi & indagandi sunt, in quibus hæc methodus exercenda & applicanda judicatur, quæ disquisitio jam *superius*

rius proposita fuit: Sic v. g. *Succulentioribus* subiectis *defectus* humorum *contraria* operatione therapevtica ita *compensandus* est, prout illorum *viribus*, constitutioni corporis, & *præc. præviæ humorum* crasi & consistentiæ respondet, ne videlicet hominibus, quibus ante hac humores *nimis subtiles* & fluidi causa variarum *molestiarum*, aut *morbosarum* afflictionum fuerunt, iterum *similes* substantiæ offerantur, quæ *talibus* humoribus reparandis facile inserviunt: quid quod talia ipsis ordinanda erunt, quæ *personalibus* illorum qualitatibus in hac restitutione in integrum quadrant: quod vero subiecta *instrumentalia* & *mediata* attinet, tunc illa quæ præcedentem *defectum* *compensare* debent, ita constituta esse debent, ne loco *puriorum* ac *laudabilium* substantiarum, impuras ac præjudiciosas congerant, ne loco fluidarum, plus consistentes & vice versa suppeditent, sed ut sub hac *contraria* actione, nihilominus *aliqualis* convenientia & adæquata qualitas observetur: quod vicissim *modum* attinet, tunc in multis casibus *haud* congruum est *indiscretim*, *sûbito* & *directe* ad excessus diminutionem & defectus reparationem confugere, sed *virium*, *viarum*, functionum *connexarum*, *opportunitatis temporis*, causarum præcedentium & concurrentium &c. rationem habere, ut subinde *contraria* operatio legitime administretur: præterea etiam in omni *opposita* actione quoad *modum* processus *moderamen* est observandum, ne quid *præcipitanter* & *impatien- ter* suscipiatur: nam licet necessitates non habeant leges, aut interdum periculum in mora sit, attamen in *talî* statu *non semper* contrariæ operationes, quamvis cæteroquin quoad alias qualitates bene inventæ ac ordinatæ,

proxime & fugitive applicandæ sunt: v.g. si quis *nimio* sanguinis *defectu* laboret idemque *brevi* temporis intervallo compensandus esset, & præter oblationem *alimentosarum* substantiarum medicus *alias causas* & observationes haud instituat, videlicet an suspectæ internæ viarum *stricturæ* præsto sint, an *vires* valde *languent*, an *distincta & singularis ventriculi* imbecillitas adsit, an *primæ* regiones tenaci occlusione & obstructione laborent, an remedia *opiata, adstringentia*, valde incrassantia, nimium refrigerantia &c. præmissa fuerint, quibus & forte adhuc aliis circumstantiis prudens artifex in tali operatione contraria, simul condigne satisfacere & prospicere debet; æqualis circumscriptio observanda est, si in alio casu humiditas aquosa & pituitosa abundat, quæ pro varietate *subjectorum* & discretione *modorum* nunc moderatis *phlegmagogis*, alibi temperatis *diaphoreticis, diureticis*, aliquando *diætâ* modice *consistente*, parum humida, leniter *acidulata*, parcius incrassante &c. iusto ordine ac moderamine, *contraria* tamen actione & superfluum illam humiditatem *positive & privative* imminuente, corrigi debet: quod si vero *necessaria* illa humiditas defecerit, tunc eadem iterum moderate refarcienda erit, videlicet non *nimiis* potulentorum & liquidorum ingestionibus ac propinationibus, non *promiscua frigidorum* aquosorum ingurgitatione, nec *motu corporis* fortiori, neque medicamentis nimium humores *resolventibus*, impellentibus, calefacientibus, &c. &c.

§. VII.

Quod nunc succincta explicatione speciminis loco quoad *excessum & defectum* quantitatis humorum dictum fuit,

fuit, id juxta tradita hæc fundamenta ad alias operationes therapevticas applicari potest: videlicet si *morbosa* humorum *intemperies* affligit, tunc juxta præmissas cautelas, non æque ex fallaci & ancipiti Pathologia falsa mox certa & *specialia salia* præsumi, aut fingi debent, quibus nonnulli *alienis* substantiis resistere allaborant, sed hoc conatu andabatarum more pugnant, nec sub reliquo prætextu *rationalis* cognitionis causæ ad *salutarem* scopum & eventum perveniunt: nam si quis exquisite pro opinione sua excogitaverit, quod secundum præsumtionem suam intemperiem *acidam alcalinis* subjectis profligare vellet & posset, adeoque juxta *vulgarem* dicendi modum, atque opinionem *contrario* ac opposito subjecto opem ferre cogitaret, valde *æquivocam* ingrederetur viam atque methodum, si quidem *talia alcalina* subjecta aut aciditates in ventriculo & intestinorum canali offenderent, aut *pinguibus* chyloso-lymphaticis substantiis se annecterent, aut si demum sub tali *ancipiti* statu ad acidam intemperiem pervenirent, *aliam novam* intemperiem generarent & introducerent, ut sæpe *malum malo* augeatur, & aliquando e *minori* majus eliceretur incommodum: nec *salubrem* curationem per contraria illi invenirent & administrarent, qui aut *banc*, aut *aliam* falsam intemperiem sic dictis *edulcorantibus*, saccharatis, lactescentibus, gelatinosis &c. emendare crederent, quippe qui iterum entia *præter necessitatem* augerent, corpus novis substantiis obruerent, præjudicosa *spissamenta* humoribus insinuarent, & magis *scrupulose philosophice*, quam *judiciose medice* curam suam intruerent: quibus exemplis inclarescit, qualibus anfractibus, paralogismis, speculationibus & æquivocationibus hæc

hæc curatio per contraria obnoxia existant: unde facile in cerebro pragmaticum quid excogitatur, quod tamen in ipsa applicatione fallacissimum, eximiisque difficultatibus obnoxium est: quare *oppositorum* ordinatio nec semper subtilioribus opinionibus, nec *crassis physicis* qualitatibus nititur, sed iudicium prudentis & periti medici postulat: ob id respectibus, causis, circumstantiis & *motibus*, ad vitalem œconomiam spectantibus, *illa* etiam cura per *contraria* in præsentī casu *intemperatæ* humorum craseos, *physicis* æque mediis ac processibus, sed sub *medico* directorio administratur, quando præsentēs materiæ *heterogeneæ*, quæ hanc intemperiem causantur ad *proximam evacuationem* præparantur ac perducuntur, ut sine cunctatione a corpore removeantur, quod fieri potest per *convenientia* laxantia, diaphoretica, diuretica, per *compensationem* substantiarum temperatarum, per promotionem *vigoroſæ* concoctionis ciborum, per quotidianam ac sufficientem *primarum viarum* absterſionem ac alvinam excretionem, per parcum salſorum, aromaticorum, spirituosorum &c. oblationem, per substantiarum, *bilem non largiter* subministrantium & generantium ingestionem, per ordinationem diluentium adeoque omnes necessarias ac salutiferas *se & excretiones* promoventium adminiculorum &c. &c. quibus modis idem *contrarius* effectus securiori processu obtinetur, ac si alia, quæ juxta physicum *hodiernum* stylum & filum *magis* contraria & adæquata videri possent, adhiberentur; *contraria* enim operatio respondere debet partim *causis* unde talis intemperies acquiritur, velut salutarium *hæmorrhagiarum* turbis, *excretionum* ordinariorum & extraordinariorum salubrium impedimentis, variis *animi pathematibus*,

æbematibus, quæ sanguinis *depurationi* inservientes motus ac functiones pervertunt, diversis *diætæ* ac *regiminis* vitiis &c. vnde forte pro *incongrua* indicatione ad humorum *temperiem restituendam* æstimari posset, si per revocationem & ordinationem convenientem *amissarum salutarium* hæmorrhagiarum scopus ille intenditur atque directione therapeutica modice & congrue urgetur: partim etiam satisfacere debet eadem curatio variis *concurrentibus* circumstantiis, quarum hæctenus passim mentionem fecimus.

§. VIII.

Ex ejusmodi speciminibus, quibus *variâ* rationem, relationem & conditionem curationis per contraria denotare placet, nunc producimus *solennia* illa symptomata, *multis* morbis supervenientia, quæ in *morboso æstu* & *frigore* consistunt: *Æstum* quod respicit, tunc & *medicorum* & nonnullorum imperitorum hominum sollicitudo est, ut ominosum ac *suspectum* hoc symptoma arceatur ac profligetur; quare *æstui opponuntur* refrigerantia, sed ob evidentiam naturalis contrarietatis haud facile ac sæpe consultum, securum & salubre est, ad positive refrigerantia, velut ad anchoram salutis, confugere: non *æstus ut plurimum* consecretarium est, aut auctioris & intensioris motus sanguinis *in, ad & per solidas* partes, aut secessionis & *concentratæ* collectionis *acrium* salutarum substantiarum &c. Si quis hac cognitione fretus *posthabita* causa hujus æstus subito *positive* refrigerantibus hunc obrueret vellet, ut plurimum perverse, inique & *perniciose* procederet: testimonium hujus observationis perhibet *motus febrilis*, quo *mediante* causa febris morbosa subjungan-

da & expugnanda erit: Si quis itaque causam æstus inquisiverit, certo hanc *in hoc motu febrili* invenerit; quare æstui *refrigerante* medio resistens, motui febrili, ut & remotioni *perniciosa* causæ febris resisteret, ac per consequentiam ægrum magis opprimeret & enecaret, quam sublevaret eique succurreret: ut nihil dicamus quam multi alii *salutares* usus in processu febris ab hoc *moderato* æstu dependeant: ob id sermo erit instituendus de æstu *nimio*, indeque nocivo: alias interdum obtingunt casus, ubi ob *insufficientem* gradum motus febrilis medicus peritus hunc æstum *congrue augere* & excitare debet, unde iterum evenit, ut simul *æstus* quadantenus accendatur & eliciatur: in quo posteriori statu rerum nec refrigerantia quidem ullum locum inveniunt: quod si itaque ille calor febrilis in excessum degenerare videatur, tunc iterum quæstio practica *præjudicialis* oritur, an illico *refrigerantia*, secundum *vulgarem* appellationem, ordinari & admitti queant? interea contrarium scopum, videl. æstus mitigationem & aliqualem tepescentiam conciliant, pro diversitate *subjectorum*, *temperamentorum*, qualitatis *sanguinis*, causæ febrilis *proximioris* & *remotioris*, prægressæ *diætæ*, *morum* & *affectuum* animi præcurrentium & concurrentium, adhibitæ *incongruæ medicationis* &c. modo *absorbentia*, alibi *nitrosa*, nunc *acidulæ*, interdum sanguinem *diluentia* & *apra* potulenta, aliquando *temperata diaphoretica* & *diuretica*, *alvinam* excretionem in moderato & libero *successu* conservantia, quandoque *tempestitiva* V. Sio & quæ singula quidem non proprio sensu & effectu refrigerant, ast *parallela* virtute diversis causis, *nimum* æstum excitantibus, satisfaciunt ac subinde æstum intensiorem minuunt.

&

& mitigant: inde iterum liquet quam *judiciose* cura per contraria dirigi & applicari mereatur, ita ut *comparate* rarius ad *positive* & *directe* opposita peritus artifex confugere debeat: neque desunt observationes, quibus confirmare licet, quod frigidus potus febrem excitaverit; *conf. A. N. C. Dec. 3. an. 7. obs. 93.* ita *frigidi lactis potum noxium corpore calefacto* testantur *Bresl. Gesch. 36. Vers. p. 730.* nam licet contraria juxta se posita magis illucescant, tamen effectus inde proveniens sæpe *perniciosus* est: porro ex *frigido potu febrem exitialem* recensent eadem *A. N. C. Dec. 2. an. 9. obs. 26.* quid quod *mira* i. e. insolita cura ardentis febris per *frigida aquam* commemoratur in *A. N. C. Dec. 2. an. 7. obs. 69.* quid vero sub febre & *æstuante* nunc corpore e potu frigido sperandum, aut metuendum veniat, dijudicent sobria ingenia: *vix* enim *securum* est ex *æquivocis* & rarissimis salubribus effectibus, qui a tali refrigerantium usu orti sunt, regulam aliquam in praxi medica constituere: neque etiam *securum* est urgente & affligente *frigore morbo*so confestim ad *positiva* calefacientia confugere, ut supra indicavimus, sed intererit eadem methodo procedere, ut causis aliisque circumstantiis prospiciamus, unde frigus tale ortum capit, ita quidem *securiori* processu ac modo calor revocatur, insuperque *contrarius* effectus obtinetur: quibus exemplis probamus, quod *contrariarum* qualitatum provocatio *variis* modis conciliari queat, ut raro necesse sit, *crasse contraria* media & conamina suscipere.

§. IX.

Quod huc usque circa diversæ *alterationis* directorium monitum fuit, id etiam de variis *evacuationibus* si-

gnificandum est, quæ posteriores dum iterum in *excessu*, *defectu* & *successu*, aut ordine peccant, tunc quidem iterum curatio per *contraria* in illarum therapeutica tractatione locum invenire videtur, quæ vero subinde cum prudentia instruenda est: in moderamine itaque talium evacuationum, a regula recti deflectentium, non æque *tantum* aut humorum & materiarum, quæ excernuntur, aut ipsius *corporis* & partium continentium ratio habenda est, sed & *motus* illi, qui tales excretiones vel causantur, vel comitantur, inquirendi & dijudicandi erunt: nam quod evacuationes *excedentes* concernit, tunc illæ non adeo coercendæ veniunt, ut una reliquus *necessarius* earundum successus detrimentum ac offensionem patiatur, sed modo illa causa, quæ excessum excitat, subjuganda est; in hac occupatione haud periti artificis negotium est, ut confestim fluxum *obstruat*, adeoque per *positivam* contrarietatem operetur, quale quid etiam facili labore medicaster paganus perficere poterit, sed potius ille excessus aut *congrua materiæ* correctione, dum illius *acrimonia* (velut in *bilis* & *seri* excretionem) involvitur, infringitur, & temperatur, ut viæ ab eadem haud inique offendantur & ad *prodigam* affluxionem & excretionem minus stimulentur, vel quando materia nimis subtilis, mobilis & ad evacuationem valde apta est, (dum eadem leniter incrassatur, sicut quædam diarrhœa, hæmorrhagiæ, sudationes & diureses nimis largæ similibus inspissantibus sistuntur, &c.) ut inde proveniens prodiga excretio *cohibeatur* & minuatur; aut *viarum laxitas*, aliunde *largum* humorum affluxum admittens, advertenda est, ut de hinc præfens illorum excretio facile in *prodigam* qualitatem delabatur, quæ ea propter emendanda, & roborantibus leniterq;
tonicis

tonieis confirmanda, quo copioso humorum ingressui magis illæ viæ *resistant* indeque prævia nimia excretio *securiori* modo imminuatur, haud vero *simul & semel* repellatur & retineatur, quæ *simultanea* alteratio funestarum consecutionum ut plurimum causa evadit: quare nonnullæ prodigæ alvi fluxiones, hæmorrhagiæ, sudationes, catarrhales defluxiones &c. roborantibus, carminativis, succinatibus, nervinis, spiritibus volatilibus &c. convenienter adhibitis, sistuntur & curantur, quippe *qui alius* curationis per contraria *modus* ac processus est: tandem interdum excedentes excretiones a *motuum* vitiosis gradibus & applicationibus, citra *materiæ & viarum* culpam dependent, quarum *emendationi* in tali casu prudens artifex operam impendere debet, dum motus *strenue, impetuose & tenaciter* ad certa loca excretoria aliunde humores congerentes facile vehementem humorum eructationem efficere & dein *excedentem* continuationem hujus excretionis producere & sustentare possunt & solent; quamobrem haud confestim & impatienter medicus ad *fortiora* adstringentia & repellentia confugere, sed securiori modo *lenientibus, temperantibus, antispasmodicis, blande diaphoreticis, resellentibus, secure & leniter sedantibus* &c. idem perficere poterit peritus medicus, ut contrarium exequatur, nec subito adstringentibus suspectis utatur: ita excessus sine *præjudicio* justî successus refrænatur ac sistitur: quæ methodus sicuti secuta, ita in ominosis evacuationibus prodigis, semper minus fido ausui *præferri* meretur: *defectum* vero aut *anomalum* successum salutarium & necessariarum evacuationum quod attinet, tunc *rationalis & secuta* contrarietas therapeutica consistit in *legitima*

promotione illarum, quæ sine strepitu & temeritate instituenda, alioquin facile & sæpe *contumaciores* illarum obstructions aliaque stagnationum & infarctuum perniciosorum consecutiones oriuntur, id quod exemplo impetuosæ coactionis *menstrui* & *hæmorrhoidalis* fluxus patet: quo etiam referimus subitanæ & rigorosæ alvi proritationem, quando illius obstructio antecessit, quam nullus peritus medicus positivo *purgante* aperire annitetur, sed *leniori* modo, prout causæ ac circumstantiis in tali casu & statu occurrentibus quadrat, hanc evacuationem promovebit: hac consideratione nititur etiam *rationalis* illa methodus, quod nonnunquam evacuationes *iisdem* remediis restituantur, quibus in alio casu, dum in *excessu* peccant, mitigantur: hinc *defectus* excretionum a *spastica* partium strictura dependens æque lenientibus, temperantibus, antispasmodicis, sedantibus &c. curari potest: sicut *similibus* remediis, ut ante notatum fuit, *excessus* excretionum in nimia humorum *congestione* ad certa loca excretoria, compesci potest: inde etiam illa rationalis therapevtica indicatio fuit, quod aliquando tonicis & *mitioribus adstringentibus* certæ *obstructiones* sub peculiaribus circumstantiis & requisitis referari queant: quo pertinet illa observatio, quod classi remediorum *alexiphar-
macorum* nonnullæ species *adstringentes*, adscribantur, quod porro quædam martialia remedia aperitivo usui, respectui & effectui destinentur &c. quam considerationem *brevissima* annotatione commendare placuit.

§. X.

In amplifico præsentis tractationis circuitu, post numerosam commemorationem variorum speciminum
&

& cautelarum huc quadrantium, seorsim adhuc attentionem in hac cura per contraria commendamus circa diversorum *motuum* directionem: præter ea enim, quæ in præcedentibus quoad hanc animadversionem monita fuerant, adhuc indicamus, quod exquisita circumspeditione *contraria* remedia variis *motuum* destinationibus ordinanda sint; nam quando in nonnullis affectibus quidam motus ac conatus aut ex affectuum & respectuum evidenter *moralium*, aut *consuetudinis* & *hereditariæ* dispositionis ratione & occasione supervenerunt, *vix consultum* & securum fuerit illis *directæ contrarias* qualitates & operationes opponere, ni *sinistri* effectus, ab iisdem motibus evenientes alia via alioque modo declinentur, ut videl. peritus & exercitatus medicus *fundamentalibus* illis causis satisfacere queat, quæ ad ejusmodi motus contribuunt: deinde circumspeditione opus erit, ne affectus, in *motuum* vitalium & *naturalium* anomalia conspicui, *præcoci* ausu *contraria* operatione medica affligantur & offendantur, quoniam schema morbose affectus hujus nimium *confusum* est, adeoque facile ab uno *irregulari* gradu in alterum cum magno vitæ dispendio ruit: quando porro motus in certo *extremo* gradu constituti sunt, tunc *altero* extremo opposito, (nisi *summa* urgeat necessitas, in qua etiam *eximia cautela* adhibenda) resistere *baud* securum est, v. g. si subitanea *alvi obstructio*, aut *urinae retentio* &c. obtigerit, & *altero extremo* harum oppresarum evacuationum *stimulo* medicus occurrerit, *funestus* sane multorum casuum testimonio inde eveniet exitus, nisi in tali casu *mitior* & *securior* inveniatur & applicetur methodus, qua *contrarius* effectus, videlicet *restitutio deficientium*

entium excretionum impetrari poterit; ita etiam aliis *motuum* declinationibus & in *extrimitatibus* peccantibus qualitatibus, quacunque etiam causas qualescunque pariter respectus concernant haud *directa* contrarietate, in *eodem* gradu constituta, facile & secure obviam ire licet: *intricatum* etiam negotium est *vagis* motibus accelerata & positiva contrarietate resistere; unde *periculosi* ut plurimum oriuntur effectus & affectus: Quibus etiam alias *motuum varii processus* cognitifunt, illi invenient uberrimam occasionem, ne levi animo in contrarietates defilient, sed eosdem motus delicate ac prudenter dirigere adjuvent: & quemadmodum *origines vitiosorum* motuum discrepant, ita iisdem *prudens* medicus hac cura per contraria condigne succurrere & satisfacere allaboret, insuper etiam sciat, satis sæpe ejusmodi *insolitos* motus extra sphaeram nude physicarum, mechanicarum &c. causarum decursus suos servare: quando quidam motuum gradus & quædam specimina illorum ad certas salutare operationes requiruntur, velut in *inflammatorio* processu ad subsistentium humorum aut *resolutionem*, aut *maturationem* perficiendam nec, non in febribus quando motus ad causæ febrilis *tempestivam* & *sufficientem* remotionem contendunt, ut & in conatu ad *salubrem hæmorrhagiam* aliamque evacuationem respiciente, qui motus licet præternaturales & morbofi existant, ea propter tamen *contrariante* ausu haud offendendi, quin potius ad salutarem effectum & eventum promovendi sunt: quod si etiam certi motuum gradus ac decursus cum *moribus* individuorum arctius cohæreant, tunc iterum cum cura præsentis tractationis provide procedendum est; nam interdum quidam homines in suis actionibus

nibus *præcipites*, audaces, *immoderati*, impetuoſi, *tenaces*, refractarii, moroſi, impatientes &c. exiſtunt, qui propter ea in moralibus etiam lenius, mitius & modetiſtus tractari debent, juxta illud *zwey harte Köpfe ſchießen ſich ſelten zuſammen*; hinc in negotiis, *corporis* œconomiam concernentibus, ægre *poſitiva* contrarietas cum ejusmodi motibus *ſimilium* qualitatum convenit: quando præterea certi motus vel *potentioribus medicaminibus*, vel ſtrenuis & arduis *regiminibus* excitati & exacerbati ſunt, tunc iterum refugium ad directe & repente operoſam curationem *contrariam* minime conſultum & ſecurum eſt, quin certius citiusque inde *perniciosa* accidentia eveniant: v. g. ſi quis in *cardialgia* ex *Menſium* aut *Hæmorrhoidum* obſtructione, aut largiori bilis effuſione intra duodenum nata, *vomitorium* propinaverit, quod *hyperemefin* excitavit, in qua ſi quis ſubito *adſtringens*, aut narcoticum ordinaverit medium ſub *contraria* indicatione & intentione, ut excedentem illum motum coerceat, *peſſime* ipſe & afflicto ægro & proprio ſuo officio conſuleret! quamobrem in hac curatione non *audacter* affectus morboſus invadendus, ſed cauſa illius *congrua contraria* actione emendanda erit.

§. XI.

In hac diſquiſitione ratio adhuc inſtituenda conſideratu valde dignæ illius circumſtantiæ in *omnibus* morbis advertendæ, quando *vires plus* vel *minus* languent & *deficiunt*, qui defectus quidem ubique ominoſus eſt, ita ut reliqui affectus *decurſum* magis *perniciolum* exhibeat atque indicet; hinc viciffim *major ſpes* ſuperandæ ægrota-

E

tionis

tionis aut prolongandæ vitæ affulget, quando vires non nimium prostratæ, sed aliquatenus præsentaneæ existunt: ob id *contraria* iterum illa operatio therapeutica est, quando vires *vacillantes* & expirantes, denuo *excitantur* & eriguntur, in quo conatu haud ludicre & *promiscue*, more *empiricorum*, ad ita dicta cordialgia, nervina, confortantia, cephalica. analeptica, &c. confugere decet, sed prius *causæ* illius defectus indagandæ sunt, quibus de in prudens ac peritus artifex satisfacere debet: etenim si confestim sub *quolibet* virium languore concentrata oleosa, spirituosæ, balsamica, volatilia, fragrantia, suaveolentia &c. ordinantur, tunc *subtiliter* humores penetrant, & *suspectum* in iisdem *orgasnum*, subinde vero *angustias* majores, & *graviores* virium prostrationes sæpe & facile excitant, ut huc etiam effatum illud quadret, man soll mit dem Thür nicht ins Haus fallen, nam *simultaneæ* tales virium coactiones & excitationes *pestime* succedunt, imo aliquando ægrum plane *opprimunt*; hinc *contraria* actio virium imbecillitati respondere debet, prout causæ discrepant, si quidem aliquando ob *pusillanimitatem*, angorem animi, metum, nimias curas mentis, trepidationem, interdum ob nimiam mollitiem & *sensibilitatem* animi, quando quædam, subjecta *delicatus*, laxius, *indulgentius* educata sunt, ut & ob *immorigeram* & *impatientem*, aut valde distractam indolem talem virium languorem experiuntur, ut ea propter *animum curare*, temperare, tranquillare & corrigere conveniat, quoniam ab *animi* turbis *corporis* æconomia valde etiam affligitur & *offenditur*: veritati itaque consona est illa regula, quod *medicina mentis, multum utilitatis promittat medicinæ corporis* vid. D. D. Præsidis disp. de Men-

Mente sana in corpore sano; sed varii secundum hodiernum stylym altius sapientium, qui plus tribuunt viribus & dignitatibus corporum, quam animæ, licet sic dictis *fabulosis spiritibus animalibus*, æque *corporeæ* essentiæ, plurimum tribuant, adeoque pro more solito crasse sibi contradicant, hincque in contradictionibus, falsis narratis, fictis suppositis, petitionibus principii, ridicule applicatis experimentis & inventis, paralogismis &c. evidentissimam, sit venia mendacio, sententiam affectant: & ita etiam ob *varias alias* causas vires evanescere solent, velut ob *nimios dolores*, multas *vigilias*, difficilem necessariorum *excretionum* successum, diuturnam *inediam*, *excedentes* motus & evacuationes &c. &c. quæ causæ sane ad sensum magis veræ & evidentes sunt, quam si frivole ad spirituum defectum, nervorum obstructions, defectum influxus spirituum, & similis surfuris causas obscuras, absconditas & vix solida ratione probandas provocare malemus: unde rationali medico interest, quo ex *certo* quodam fundamento contraria licet interdum operatione virium languori succurrat, quæ animadversio latius inculcari & illustrari posset, ni in aliquali fundamentali deductione & demonstratione acquiescere voluerimus: Quod denique *Animi morbos* attinet, tunc videtur quasi in iisdem *positive contraria* medicatio majorem & proximior potestatem inveniatur, quando in iisdem *corporis morbosas* afflictiones *strenuis oppositis* ausibus invadimus & emendare contendimus, veluti quando in *Mania* vehementem impulsus & orgasmum sanguinis frequentibus, simultaneis & largis missionibus sanguinis, positive refrigerantibus in & externe applicatis,

adstringentibus, sedantibus, potentius purgantibus & aggredimur; aut in *Melancholia* vel nimiam oppletionem capitis, vel obstructa viscera, largis V. Snibus, fortibus vomitoriis, purgantibus &c. tractamus, & ita in aliis animi morbis procedimus, tunc facile *decursus* ejusmodi affectus, quomodo post talem curam *ut plurimum* fieri solet, testabitur, quam *anceps*, periculosa, male fida, dubia, fallax & exorbitans hæc methodus existat, ut *intricatum*, perversum, exacerbatum & impetuosum morbi cujusdam schema, *haud simili* curandi modo tractare consultum sit, iterumque rectius contrariam operationem *moderatiore* methodo prosequi & exequi conveniat: nec etiam fructuosum atque consultum est, ut ipsæ *turbulentæ* operationes *mentis*, directe contrariis actionibus coerceantur, velut si timidi, latitantes, obscuri, solitudinem amantes, tristes, morosi melancholici in extremas hominum turbas, strepitus, illecebras, extrema gaudia, effusissimos cachinnos, &c. conjiciuntur, aut musicis *tumultibus* submituntur, unde illis tanto magis mens pervertitur, aut si multis vexis, subrisionibus, contumeliis &c. affliguntur: vel si furibundi mox & sæpe flagris coercentur, solitudini subjiciuntur, extreme oppositis mediis, frenis, vinculis, carceribus, comminationibus, conviciis, maledictionibus, invectivis, invasionibus pavoribus &c. afficiuntur, male ut plurimum succedit expectata curatio.

§. XII.

Denique nonnulla monita & annotationes quoad
hanc

hanc curam addere lubet: circumſpecti itaque medici officium erit, ut in adminiſtratione hujus curationis judicioſe obſtacula advertat, quæ tandem curam *minus ſecuram* reddere poſſunt, quibus antea removendis ſedulam dare debet operam: in præcedentibus ſparſim hujus moniti mentionem fecimus; hoc loco illud denuo inculcamus: quare ſi interdum quædam evacuationes ob præjudicioſam humorum *ſpiſſitudinem* impedimenta patiantur, v. g. quando homines multum ſedentariæ vitæ indulgent, parum humida ingerunt, crebriori ac majori frigori ſe exponunt &c. tunc perverſa methodus eſſet ſubito *deſectum* illarum valde *impellente* medio urgere & compenſare velle, aut quando tales excretiones ob nimiam viarum *ariditatem*, aut *ſpaſticam* ſtriſturam retinentur, æque alienum eſſet, *nude contraria* illarum excitatione & coactione operari velle: ſed intererit *per gradus* congrue procedere & humores *diluere* ac fluidificare, vias lenire & elubricare, ſtriſturas *relaxare* & mitigare, ita ſæpe ſponte amiſſæ & turbatæ evacuationes debitos ac neceſſarios ſuos recurſus impetrabunt, ut nulla dehinc *poſitive contraria* operatio neceſſaria exiſtat: hinc aliquoties indicatum fuit, quod minime conſultum ſit *effectus* morboſos contrariante *rigoroso* proceſſu inſultare, ſed rectius *cauſam* illius *convenienter* tractare expediat: Deinde ſcire convenit, quod hæc curatio ſimiliter *pharmaceuticis* & *dieteticis* mediis & ſubſidiis adminiſtretur: quemadmodum vero *poſteriora* *numerofiori* penu *ſecuriora* & *temperatiora*, ut & *ſenſui* hominum & *corporum* qualitatibus *magis congrua* ſunt, quam priora, ita

quando aliquem *necessitas* cogere, aut alicui consultum & fructuosum esse videtur, ut *positive contraria* medicamina ordinet & adhibeat, tunc ad obtinendum finem propositum *diætetica* talia media, si circumstantiæ permiserint, adhibeat, quæ pro avertenda pernicioſa operatione paulo magis quadrant; ea propter tamen haud penitus *pharmaceutica* talia media improbantur, modo illorum effectus mitior & temperatior existat: Proinde sciendum, quod hæc curatio per contraria non *universalis* aut in singulis casibus *absolute* necessaria existat, siquidem vicissim dantur curationes per *similia*, juxta superius allegatum medicorum canonem, dum non raro *salutares* operationes in morbis *adjuvare* ac promovere, *impedimenta* remove, ac motus *quosdam*, qui *morboſi* dicuntur, sublevare debemus: ex quibus omnibus meditationibus inclarescit, quod hæc curatio sub manu ductione prudentis & periti medici administrari & dirigi debeat. Tandem etiam adhuc pauca verba de *Insufficiencia*, aut *comparata*, hujus curationis facere lubet: enimvero non sufficit *excedentes* fluxus & motus coercere & *compescere*, sed circumſpecti medici officium est, ad *consecutiones* sollicitè advertere, an videl. legitime & congrue necessariæ evacuationes & commotiones continuent, ne post curatum excessum cum præjudicio deficiant, ne fraus posterior priori deterior reddatur: eximii momenti specimen hujus observationis deprehendimus in prudenti *febrifugorum* ordinatione, quorum operationem semper *justus* successus *ordinariarum* excretionum sequi debet: quare ad crinomena *securæ* operationis

rationis Cort. Chin. chinæ ad fugandum febrilem quendam paroxysmum referunt, si functiones animales, vitales & naturales in convenientem *ordinem* revertuntur ac in eodem progrediuntur: quam ob rem *suspectis stricturis* partium, turbis functionum & defectibus salutarium actionum tempestive prospiciendum est: ita pariter correctionibus motuum & fluxuum *nimiorum*, cum *sedantibus* commissis, providendum est, ne easdem ominosæ *atonie* partium, & confusiones motuum & functionum excipiant: Si *defectus* talium motuum & functionum *contraria* curatione iterum excitatione & provocatione emendati fuere, tunc prospiciendum est, ne *perversi* & *contrarii* motus, loco *convenientium* accerfantur, neve in reliqua œconomia vitali turbæ ac confusiones oriantur: quo *potentioris* efficacisë, ac *repentinæ* operationis contraria auxilia fuerunt, eo magis medicus de successu & consecutione sollicitus esse debet, ne quid *adversi* remaneat, unde periculosæ *recidivæ* originem trahunt, neve partes aut valde *debiles*, aut nimis *strictæ* maneant, ne functiones se & excretoriæ *supprimantur*, aut *irregulariter* progrediantur, ne functio concoctionis *languet*, aut perversè procedat, unde pravæ *cruditates* & novæ corporis *inquinaciones* metuendæ sunt; præterea etiam præcavere convenit, ne hac curatione per contraria aliæ consuetæ *extraordinariæ*, aut *sanguinis*, aut *seri* &c. *salutares* evacuationes *turbenter* ac *supprimantur*: velut si sub cura diarrhœarum, dysenteriarum &c. *hæmorrhoidales* motus & fluxus offenduntur; ne sub fuga intermittentium febrium ordinaria alvi lu-

brici

bricitas, aut extraordinaria liberalior, attamen salubris fluxio pervertatur & coerceatur; præcipue vero eximia *cautela* observanda est circa curationem *contrariam*, quæ cum *adstringentibus* & sedantibus subjectis committitur: nec sufficit tantum *contraria* medela *effectus* morbosos suppressere, indeque sæpe *polliative* curare, sed interest curationem, quantum fieri potest, *ex fundamento* prosequi: porro hæc curatio per contraria sæpe requirit providam corporis, quoad *diversos* respectus *præparationem*, deinde ipsius curationis dextram *directionem* & *confectariorum* debitam tractationem; quam animadversionem passim hætenus inculcavimus & hoc loco adhuc repetimus, quoniam sine tali modamine illa cura salutares successus haud impetrabit: Plura præcedentibus addere limites dissertationis haud permittunt, quare vela contrahimus, & pio voto divinam bonitatem pro præstito auxilio in præsentis thematis commendatione veneramur insuperque precamur, ut omnes perniciosas contrarietates avertat, quin potius largiatur, ut hujus laboris academici inauguralis pro intentione nostra ad amplificationem gloriæ divinæ & promotionem salubritatis proximi desideratus & exoptatus sit

FINIS.



